ICONES CATECHESEOS, ET VIRTVTVM AC uitiorum illuſtratæ numeris.

IOHANNIS HOFFERI Coburgenſis.

ITEM

HISTORIA PASSIONIS Domini noſtri Ieſu Chriſti effigiata.

VITEBERGAE

ANNO M. D. LVIII.

INTEGERRIMO VIRO, D. IOHANNI SVERTELIO AMICO ET CONTERRANEO SVO CARISSIMO S. D.

IOHANNES HOFFERVS.

CVM SVPERIORIbus diebus, quibus animum à ſeuerioribus ſtudijs retraxeram, amicus noſter Samuel Selfiſch Icones quaſdam uerſibus illuſtrari meis peteret: Etſi intelligebam me non ea ſcribendi facultate inſtructum, qui aliquid ſuaue & elaboratum ædere poſſem, cũm id his tantum contingat, quorum manus Gratiæ in lympidiſſimis Caballini fontis laticibus abſterſerunt: Tamen hominis boni & officioſi preces uicerunt, ut malim nunc in reprehenſionem quorundam iudicantium incurrere, quãm labe parum beneuoli amici notari. Complexus itaq; ſum numeris totam ferẽ κατήχησιν, hoc eſt, præcipua capita ſanæ doctrinæ, quæ ſonat in noſtris Eccleſijs, & adiunxi

iunxi quarundam Virtutum & Vitiorum Ethicas descriptiones. Id quicquid est laboris, tenuis sanè nimium, carissime D. Iohannes tibi nuncupo, tecq; oro, ut cùm plurima in me tua extent beneficia, animum interea gratificandi cupidum, quem Græci χαρίτων ἄριστον esse adfirmant, boni consulas, & uincula nostræ amicitiæ non ex leui quadam noticia coniuncta, sed ab honestæ familiaritatis quæsita rationibus (ut Iurisconsulti Pauli uerbis utar) nullo tempore dissolui patiaris, pro qua fide & beneuolentia tibi omne studium & humanitatis officium polliceor. Nunc etiam procul hinc abiturus Deum oro, ut te, tuosq; incolumes seruet & protegat.

Bene & fœliciter uale. Vitebergæ 10. Maij. Anno 1557.

DECA-

Lex, æterna Dei sapientia, regula strictæ
Iusticiæ, damnat crimina, iusta probat.
Hæc patefacta fuit, quando telluris alumnus
E tenui est terræ puluere factus Adam.
Rupibus in celsis & declarata Sinaï
Postea, cùm Moses astitit ante Deum,
Naturæ ut scirent, ratio quibus insita fulget,
Effigiem uoluit quasq; referre Deus:
Quod Deus, & qualis sit, nempe q, obliget omnes,
Vt sint Iusticiæ congrua membra suæ,
Et quòd difformes normæ malè destruat omnes,
Ni gnatus præsens adferat unus opem.

Malleus hinc ueluti Lex lapsos conterit ægros,
Voceq; diuina saucia corda facit.
Denotat hoc fulmen delapsum cœlitus olim,
Cùm sonuit tristi concio sæua polo.

I PRAECEPTVM DECALOGI.

Sic Deus ad Mosen dilectum in monte Sinai,
Legis ut Ebræis nuncia ferret, ait:
Sum Deus ecce tuus, fortis dominusq;, potenter
Qui Phario eduxi teq; tuosq; solo.
Non commentitium præter me numen habebis,
Semper adhærebis sed pietate mihi,
Semper amore, fide, spe, præduleiq; timore

Me

Me solum, uera noticiaq; coles.
Vatis Aharonis populus sed postmodo ductu
Pro uero ut coleret numina ficta Deo:
Numinis indignans excanduit ira seueri,
Idq; tabellarum fragmina scissa probant.

II.

Conferat haud quisquam diuinum nomen ad usus,
Quos grauiter uetuit sanctio iusta Dei.
Omnis blasphemus, mendax, periurus in iram
Diuinam Nemesi concomitante ruet.
Sic lapidum iactus Ebræus sensit amaros
Scommata cùm dixit turpiter ore Deo.

Sanctifices festum mandatis cultibus, omnis
Sitq; ministerio dedita cura sacro.
Vt sibi te faciat templum Deus optimus, & se
Spiritibus cerebri misceat ipse tui,
Donec concelebrent expertia Sabbatha finis
Augusti in totum pectora plena Dei.

Afficias

Afficias fili tu semper honore parentes,
Qui uitæ primùm causa fuêre tuæ,
Vt Deus ex longa serie tibi proroget annos,
Et uideas natos laude nitere tuos.
Cham quia grandæuum patrem non tractat amicè,
Commeritæ pœnas impietatis habet.

Non interficias hominem, non ſuſcitet ira
Pectora, uindicta eſt attribuenda Deo.
Sanguine quòd terram fœdauit, ſigna reatus
Ante Deum Cain dirus alaſtor habet.

Gen: 4.

Crimen

Crimen adulterij, fœdæq; libidinis uſum
Deuites, ſerues coniugijq; decus.
Suſtinuit pœnas quot rex Ieſſæus adulter?
Ipſe Deus caſtus nil niſi caſta probat.

Non

VII.

Non furtum facies, non insidiabere rebus
Alterius, tua sit prompta iuuare manus.
Hierichuntis opes anathemata cùm tulit Achan,
Voce Dei iussus mortis obiuit onus.

Friuola

VIII.

Friuola non dicas mendacia testis iniquus,
Congrua sed rebus mens tua uera sonet.
Hekchiadi à senibus conuicia sparsa pudicæ
Exitij iusti causa fuêre sibi.

Non

Non tibi perplaceant, quas proximus occupat ædes,
Propria ſed fido rura labore colas,
Congruat ad normam legis tua uita, tuosq;
Mores Harmonia conueniente regas.

Nullius

Nullius uxorem, ſeruumq; bouemq;, aſinumq;
Adpete, quæue ſua poßidet arte bona.

Euan-

EVANGELIVM.

Vox Euangelij horrendum ſcelus arguit illud
Maxima quod temnit, munera, turba, λόγȣ.
Nunciat at dulci promiſſam uoce ſalutem
Qui capiunt Chriſti munera certa fide.
Adfirmat quibus & peccata cruenta remitti,
Iuſticiæ GRATIS & bona uera dari.
In qua uoce λόγῳ ſolatur, & erigit ægra
Pectora, & à ſtygia libera morte facit.
Atq; dato ſancto flatu ſibi perficit eſſe
Templa, quibus ſimiles ſufflat & ipſe faces.
Hanc ratio ignorat doctrinam, quæ modo Patris
Enarrante pijs eſt patefacta λόγῳ.

Hanc

Hanc tibi proponas extremo in mortis agone,
Hæc legem aduerſus firma columna manet.

SYMBOLVM APOSTOLICVM.
ARTICVLVS I.

Eſſe Deum Patrem ueraci aſſentior ore,
Nemine qui natus non alicunde uenit,
Qui ſed ab æterno genuit (mirabile dictu)
Gnatum, qui Patris lux & imago foret,
Quiq; ſacrum flatum cum Gnato ſpirat ab æuo,
Omnia quo motu uiuificante uigent.
A tribus his fateor perſonis cuncta creari,
Quicquid habet tellus, quicquid olympus habet.

WBP
Opole

Esse Deum Gnatum, qui Patris imago, character
Et sit ὑπόστασεως credulus ore sono,
Quem Pater æternus, dum sese cogitat intra,
Gignit, ut effigies firma sit atq; manens.
Qui manifestatur nobis, mediante quòd ipso
Omnipotens faciat condita cuncta Pater.
Cordibus inq; pijs uerbo solatia dicat,
Eius & hæc reddat plena uigoris ope.
Mittitur & nobis decreta latentia uerbi,
Vt Patris æterni proferat ipse sinu.

Corpus

Corpus & humanum, mortalia sumat & ossa,
Vt Mediatoris munus obire queat,
Atq; redemptoris, qui crimina nostra piaret,
Sustineat partes, æquiualente λύτρῳ.
Et det iusticiam nobis, ueramq; salutem,
Vt læta aspiciant pectora nostra Deum.
Cum ueniet Gnatus (quô stantes ante tribunal
Iudicet) & tradet mitia sceptra Patri.

Non titubante fide statuo, quòd Spiritus almus
A Gnato ueniat, Patreq; numen idem,
Quo Pater & Gnatus se complectuntur amore,
Pectora ὑφισαμένῃ læticiaq; fouent.
Qui manifestatur nobis, quòd Patris ab arce
Mittitur, & uerè corda renata subit.

In qui-

In quibus accendit flammas ardentis amoris,
Et motus, quales mens habet ipsa DEI.
Credo quòd & Christus, dum sanctum colligit ag-
Voce ministerij, Spiritus ipse iuuet. (men
Sentio credenti & uerè peccata remitti,
Et uitæ æternæ gaudia summa dari.
Corpora quando Deum tumbis excita uidebunt
Pelle, uelut fuerant conspicienda prius.

PRECATIO AD FILIVM DEI, CRVCIFIXVM PRO NOBIS.

Dum circumſpicio, dum ſollicitusq; laboro,
Quo ſcandam cœli culmina celſa gradu:
Nil noui præter crucifixi uulnera Chriſti,
Huius ego meritis culmina ſcando poli.
Sanctorum uotis, miſsis & cœlibe uita
Inquirant alij complacuiſſe DEO.

Elue

Elue tu ſordes meritorum Chriſte meorum
Sanguine, naturam mundificato ream.
Solus is ad cœlum credentes collocat omnes,
Atq; cohæredes efficit eſſe tuos.
Nanq; rubet κόκκινον βαφικὴ uelut, omnia noſtra
Ante tuos oculos Chriſte perinde rubent.
Tu niue Sythonia fac candidiora, cruore,
Crimina, quæ Sathanæ nil niſi uirus habent.
Tunc tibi grata feram præconia, donec in æuum
Cum flatu celebrem te λόγον ante Patrem.



RESVRRECTIO CHRISTI.

Morte Triumphator truculenta Christe resurgens,
Nos quoq; fac signis proxima membra tuis.

Oratio

ORATIO DOMINICA.

In cœlum penetrare preces, quas fundimus ore
Collaudante Deum, testatur concio Christi,
Ordine dum formam orandi præscribit amicis
Discipulis, postquàm sublimi in uertice montis
Tradere cœpisset documenta salubria uitæ.
Nos igitur cuncti ἀζαρχὸ quoq; uerba sequamur:

O dilecte parens, qui cœli sede receptus
Nos sobolem blandam caris amplectis ulnis.

Sancta tui uerbi late extendatur in orbem
Noticia, *&* cunctis paßim efflorescat in oris
Nominis augusti celebratio, dogmata falsa
Vndiq; tollantur, quibus obruta gloria cultus
Diuini iacet, *&* pedibus prosternitur imis.

Insur-

Insurgant regni mitißima sceptra beati,
Perq; ministerium fœlix Ecclesia crescat,
Cui gratis propter te crimina cuncta remittas,
Cuiq; sacrum flatum dones, durisq; procellis
Iactatam miserè quam tristi in ualle malorum
Eripias tandem, facias *&* luce potiri
Æterna tecum, hæredem sociamq; bonorum.

Iussa

Iussa uoluntatis nostræ sint congrua uerbo,
Conformesq; tibi fac ò pater optime nostros
Actus. Angelici ueluti tua iussa facessunt.
Heroes, careat munus succeßibus opto
Speratis nullum, seu quod Respublica poscit,
Seu res priuatæ, tibi seu quoq; cœtus adhærens.

Quoti-

Quotidie nobis panem largitor abunde,
Corporibus tu uitam affles, lætumq; uigorem,
Copia sufficiat uictus, pax aurea regnet,
Sint sacra iura, piè genitor sobolem educet omnis,
Sint saluæ matres parua cum prole, domusq;
Expertes maneant grandis te uindice damni.

Vt

Vt nosmet ueluti peccata remittimus ipsi,
Prostrati nobis qui se debere fatentur:
Sic quoq; prostratis tibi qui debere fatemur
Propitio ex animo peccata remitte benignè.

Nostra

Nostra sacro semper spiramine corda gubernes
Nec patiare, premat nos crux ut funditus actos
Nec sine nos lapsos subuertere Dæmonis astum.

Sed

Sed nos à damnis aſſertos uindice dextra
Omnibus, excelſi traduc ad ſidera cœli.
Nanq; tuum eſt regnum, tua ſumma potentia, clarũ
Nomen, honosq; manet celebris tibi ſemper in æuũ.

Hæc non ad ſurdas uolitantia pangimus aures
Vota. Sed euenient quæcunq; petiuimus, Amen

Sacra-

SACRAMENTVM BAPTISMI.

Scanſurus Chriſtus ſublimina limina cœli,
Diſcipulis retulit talia uerba ſuis:
Qui dominor uaſto cœlo, terræq; patenti,
Cuius & in uerbis non leue pondus ineſt.
Præcipio uobis nunc: Ite docete per orbem
Latiuagum populos, ſub ditione meos,

 Subter

Subter aquas liquidas & mergite nomine Patris,
Et cari Gnati, flaminis atq; sacri.
In meritis fuerit sita cui fiducia nostris,
In sacris undis & bene mersus erit,
Saluus is aspiciet cœlestia regna, perenni
Cumq; Deo lætus luce superstes erit.
Cui non in meritis fuerit fiducia nostris
Sed sita, damnatus tecta Draconis adit.
Donec erunt fragilis quin secla fugacia mundi,
Copia non uobis deerit ulla mei.

Bapti=

BAPTISMVS CHRISTI:

Christus ut est lotus diuino à uate Iohanne,
Ipse Deus totus conspiciendus erat.
Nam Pater à cœlo de cari munere Gnati
Clamat ad humanum uoce sonante genus:

C 2 Filius

Matth. 3. 17.

Filius hic meus est, ego quem complector amore,
Auribus hunc cupidis audiat omnis homo.
Filius ipse Dei sacris aspergitur undis,
Præsentemq; uidet concio tota uirum.
Simplicis ast instar descendit ab arce columbæ
Spiritus, & gnati tempora sancta tegit.
Sic patefacta Dei nobis essentia clare
Mandato æternum debet honore coli,
Signaq; diuini bene declarata fauoris
Conuenit amplecti iustificante fide.

Στοργή

ΣΣΟΡΓΗ DIVINA ERGA INFANTES.

Amplexis figens infantibus oscula Christus,
Hisq; patris memorans regna parata sui.
In genus humanum, propria quod morte redemit,
Flagrantis motus exerit ipse faces.
O homo disce Dei sincerum agnoscere amorem,
Inq; uicem Christum non simulanter ama.

Huic tibi sit studium pueros adducere, matris,
Non melius pueros prouida cura fouet.
Dumq; tuam sobolem portas ad brachia Christi,
Ipsius exoptans irrequietus opem:
Non dubius statuas maiorem in pectore Christi
Στοργὴν in massam corporis esse tui.
Quàm tuus amplecti queat unquã maximus ardor,
Quæ genuit coniunx pignora cara tibi.
Huic animo forti semper confisus amori,
Teq; tuosq; Deo crede, beatus eris.

Abso-

ABSOLVTIO PRIVATA MINISTRI EVANGELII.

Stans in Apostolici medio gregis agmine Christus,
Insufflans sanctum flamen ab ore refert:
En uobis sanctum trado spiramen, & illud
Vt regat æternum pectora uestra precor.
Quorumcunq; trucis scelerata piacula culpæ
Voce remittetis, uoce remissa uolo.
Quorumcunq; trucis scelerata piacula culpæ
Sed retinere placet uoce, retenta uolo.

Nocte, fuit Christus qua Iudæ traditus astu,
Accipiens Panem, & frangens benedixit, & inquit:
Accipite integrè uos, manducateq; corpus
Hocce meum est, quòd pro uobis offertur, & illud
Efficite, & memores semper necis este cruentæ.
Sic Calicem accipiens, est postquàm Cœna peracta,
Egerat ut grates, dixit: cuncti bibite inde.
Nam docet iste calix, in sanguine fœdus inisse
Vobiscum roseo me, uos quoq; quando bibetis,
Et quoties, memores semper necis este cruentæ.
Ipse reuersurus donec sum, clangor ab alto
Æthere defossos sub terra quando uocabit.

Preca-

Qui stimulante fame cupido ἄθυτα deuorat ore,
Debuit is nullos ore uorare cibos.
Ergò refecturus lassatos corporis artus,
Consecrare dapes per pia uota decet.
Corporis ô autor, custos largitor & altor
His benedic epulis pro bonitate tua.
Inde recessurus, quando sunt membra refecta,
Munifico grates reddito uoce Deo.
Conditor ò noster, tibi gratia nomine Christi,
Corpora quòd nutris conueniente cibo.
Hac Deus, aut simili debet pietate rogari,
Vt uigor in saluo corpore semper eat.

ORATIO CVBITVM EVNTIS ET SVRGENTIS.

Humanos artus post pabula sumpta sopore
Cum dulci sera nocte rigare cupis,
Cui cordi est pietas, propriæ studiumq; salutis,
Hac uel consimili uoce precare Deum:
Alme pater fessum iam somno præbeo corpus,
Ventura dubius nunc quoq; luce fruar.
At quoniam custos meus hactenus ipse fuisti
Veraci grates pectore dico tibi.

Et

Et precor augusto saluantis nomine Christi,
Vt quasi custodem nunc morientis agas.
Pelle procul technas & robur Dæmonis, ore
Qui Leo ceu paßim sæuus hiante fremit.
Somnia pelle procul, simulacraq; uana pauorem
Sæpius incutiunt quæ mihi nocte graui.
Sic ubi caligo cessabit & aureus ortu
Cynthius auroræ lucida dona feret,
Quam prius aggrediar susceptæ munia curæ,
Ipse Deo grates uoce sonante canam:
Quas tibi quas tanto grates pro munere redeam?
Quas meritis laudes concinam & ipse tuis?
Qui me texisti custos Deus optime, somnus
Corporis ut tenuit mortua membra mei.
Tu primos homines Paradisi in dulcibus hortis
Ante locans uultus, ut tua imago forent,
Æterna tecum uoluisti luce potiri,
Noticia illustres iusticiaq; tua.
Proh dolor instinctu damnati urgente colubri,
Vt leuibus uicibus tot perière bona.
Hæc tamen ut repares patrio miseratus amore,
Misisti gnatum, uictima ut ipse foret.
Omnis in hunc credens æternæ ut gaudia uitæ
Sentiat Angelici pars quotacunq; chori.
Si genus humanum tanto es dignatus amore,
Num uitæ fragili dona negare uelis?
Ergò tibi totum me do commendoq;, dextra
Hac rege me tectum luce sub, alme pater.

Commoda

Commoda da uitæ, fruges, dulcesq; liquores
In patrio seruet pax bona cuncta solo.
Corda magistratus pariter populiq; guberna,
Officio ut subeat quilibet apta sibi.
Sic mihi quæ fuerint etiam peragenda, sereno
Strenuus ut miles pectore semper agam.

SEQVVNTVR VIRTVTES THEOLOGICÆ ET PHILOSOPHICÆ.

FIDES.

Noticia stabili doctrinæ assentior omni,
Attulit à patris quam λόγος ipse sinu.
Hac & in ambabus manibus præhendo salutem,
Promissam propter te pie Christe mihi.
Et statuo propter te & per te crimina tolli,
In quibus immersus funditus orbis erat.
Hac spe fisa tuo sub numine læta quiesco,
Et procul horrendum pectore pello metum,
Inq; Deo capio solatia uera, precesq;
Offero, nec dubito pondus habere fidem.

Spes

SPES.

Expecto certò uitæ fine fine futuræ
Ob Christum GRATIS *gaudia danda mihi.*
Donec & in uitæ perituræ ualle pererro,
Vt mala consilio mitiget oro Deus.
Christe meis rebus fidißime portus & aura,
Duc animam è uinclis corporis ipse mei.
Spes confisa tibi nunquam ut confusa recedam,
Oblato & potiar tota quieta bono.

CARITAS.

Toto corde ego præceptis obtempero cunctis,
Quæ sanxit iusti regula recta Dei.
Inq; fide ardenti, capio qua munera Christi,
Lætor, & amplector dedita mente Deum.
Do cunctis operam, quibus inserurie necesse est,
Officium propter lætor & ipsa meum.

PIETAS.

Adſidua cura, pietas ſtudioq; frequente,
Docta, Prophetarum myſtica ſcripta lego,
Scrutor Apoſtolicis & noſcere tradita ſcriptis,
Quæ benè ſcrutari præcipit ipſe Deus.
Et digitum intendo ad fontem, qui diuite paßim
Diuini erga homines nectare amoris abit.
Ipſa Dei monſtro quæ ſit natura, uoluntas
Quæq; ſit ipſius, prædico uoce pia.
Annuit hinc numen mihi ſolum uberrima merces,
Hanc ego pro ſancto grata labore feram.

Patien-

PATIENTIA.

Pectore dura fero forti Patientia lenis,
Voce Deus iuſtus quæ tolerare iubet.
Propterea ſæuo nec uincor fracta dolore,
Nec latitans odium nutrio corde DEI.
Erigit at ſtabilis firmum fiducia pectus,
Me non iratum ſemper habere Deum,
Sed fore tempus, erit, quo portum rurſus adepta
Sors mea, nanq; iuuans anchora Chriſtus erit.

D Fruden-

Priuida mente, ſciens præſentis, gnara futuri
Conſilij metas cum ratione rego.
Eligo quæ proſunt nec ſunt contraria honeſto,
Quæcunq; nocent, ſimul & ſunt inhoneſta uetoq;
Publica res floret, fuerint ſi tradita dextræ
Sceptra meæ, leges, aurea paxq; uiget.
Informo multos, mihi diſcere cura uiciſſim eſt,
Tranſigo ſic uitæ tempora cana meæ.

ANTI-

Grata Deo eſt pietas, feſſos nutrire parentes,
A quibus es fotus tempora longa puer.
Cernis ut effœtum miranda Ciconia patrem
Nutriat, & laudem pro pietate ferat.
Quid facerent homines, cœleſtis imaginis inſtar
Quos uoluit radios numen habere ſuos?
Tu quoq; qui placidum genitorem gnata Cimonem
Pauiſti uberibus lacte fluente tuis.
Viuis in æternum multas Heroidas inter,
γηροβοφῶν uiuax ſecula ſera uidet.

IVSTICIA.

Quæ teneo dextra gladium, lancemq; sinistra
Iusticia auricomo pingor & ore nitens.
Cuiq; suum tribuo, non quenquam lædo, probatis
Moribus extollo nomen honore meum.
Hinc mihi diuino procedunt cuncta fauore,
Est etenim uerè iustus & ipse Deus.

Forti-

FORTITVDO.

Mente ferenda fero magna, nec prospera rerum
Vela queunt animos illaqueare meos.
In promptu causa est, Heroicus impetus ortus
Numinis à dextra dirigit usq; manum.
Iessæi hoc uatis uictoria monstrat apertè,
Qua preßit Goliath tela, tegente Deo.
Nil forte aut magnum sine numine, credere debet
Quilibet acta Deo, fortibus ille fauet.

TEMPERANTIA.

Adde modum dapibus, potum & moderare frequentem
Commodus ut precibus tu magis esse queas,
Et cura uigili meditari mystica poßis
Scripta, uenit nobis unde petenda salus,
Et magis intentus facias, quæ postulat usus,
Mandat & officij prouida cura tui.
In te sic numen ceu Templo habitabit, & ipse
Præ reliquis multa laude uehendus eris.

Castitas

CASTITAS.

Artemis ut fugeret consortia blanda uirorum,
Colla libidinibus subtraheretq; uagis:
Dicitur in nemorum uiridantes isse latebras,
Virgineo exiguo concomitante choro
Hic succincta, ferens arcum, pharetramq;, uagata est
Venando celeres tesqua per uda feras.
Tu quoq; qui finem malesani quæris amoris,
Otia deuitans res age tutus eris.
Otia quisquis amat, quod agat nec repperit, illi
Obrepit incauto subdolus hospes amor.

Arma facemq; gero, atrociſsima ſigna furoris,
Ipſa quibus cupio pellere damna data.
Gorgoneum ſimulo uultum, mihi ſanguine uenæ
Nigreſcunt, ignis lumina more micant.
Ira uocor, rapidus fugientis pectoris æſtus,
Geſtio & obiectum ui remouere malum.
Me niſi quis uincat patientis robore cordis,
Hic erit exitij cauſa parata ſui.

Inuidia.

Tetra oculos, & tetra genas, & brachia tetra,
Articulos manuum, pectora tetra, pedes,
Mando cor, alterius res marcens propter opimas,
Id lucri tantum iure fero Inuidia.

CRAPVLA.

Ipſe licet toto turgeſcam corpore, ſemper
In manibus tamen eſt amphora trita meis.
At latus incedit ſus fœdo ſtercore gaudens,
Sic poteras uitæ ſymbola noſſe meæ.
Sum gula, cauſa necis, fons litis, origo malorum,
Et malè ſterno lacus ad Stygis usq; uiam.

Super-

SVPERBIA.

Forſitan hæc fuerat comptæ mulieris imago,
Quam benè Phocylides aſſimilauit equo.
Ducit equi quoniam primam de ſemine ſtirpem,
Æmula ſublata mente ferocis equi,
Exultans ſpecie, ſpeculi quam reddit imago,
Extollens criſtas pauo ſuperbe tuas.
Spirans alta, gerens animum, maleſana, ſalaci
Fronte ſtruens multis noxia damna uiris.
Hanc Deus ut peſtem procul hinc diſpelle nocentem,
Cum fuerit thalamo Sponſa petenda meo.

Segnities

SEGNITIES.



En ego Segnities, quæ brachia pigra remitto,
Exequor officij munia nulla mei.
Nec proprios, sicut debebam, præsto labores,
Ocia sed temerè desidiosa trabo.
Ergò laude carens non præmia consequor ulla,
Sic meritam palmam quenq; tenere decet.

Auari-

AVARITIA.

Seruio non ulli, non ulli commoda præsto,
Diuitias studeo, sed cumulare meas.
Non iustum, iniustum non curo, dummodo lucrum
Sit mihi, sit quamuis sordidus eius odor.
Ipsa oblita Dei suluo confido metallo,
Hinc oculis cæcis pingor Auaritia. »
Vis dicam sim quæ: sum radix una malorum
Cunctorum, quotquot maximus orbis alit.

FINIS.

VERBA CHRISTI, EX SECVNDO LIBRO CHRISTIADOS H. VIDÆ.

Corporis hæc noſtri eſt, hæc uera cruoris imago,
Vnus pro cunctis quem fundam ſacra Parenti
Hoſtia, ut antiquæ noxæ contagia tollam.
Vos ideo quoties poſitas accedere menſas
Contigerit, ſacrasq; dapes libamina iuſſa,
Funeris his noſtri mœſtum referetis honorem,
Et nunquam iſtius aboleſcat gloria facti.

Sangui-

Sanguineus Chriſti manat de corpore ſudor
Pondera tàm noſtro nomine dura tulit.
Te precor humanæ reparator Chriſte ſalutis,
Crimina qui deles ſanguine noſtra tuo,
Flamine quo ſancto mortalia corda gubernes,
Vt meriti agnoſcant munera ſumma tui.

De

DE LAVRO
ELEGIA IOHANNIS HOFFERI.

AD IOHANNEM SCHOSSERVM, POETAM LAVREATVM.

VNdiq; nunc euperem circum me ſerpere laurum,
Dum celebro laudes laurus amœna tuas.
Symbolon eximium diuini laurus honoris,
Laurus amabilibus ſemper opaca comis.
Non modo Schoſſeri quoniam tu tempora cingis,
Laudibus ex una parte uehenda uenis.
Neſcio uirtutis ſed quid natura latentis
Inſuper indiderit docta magiſtra tibi.
Arbor in Aonij Parnaſsi uertice creſcis,
Grandibus & paruis conſpicienda comis.
Frondibus & ſemper læto ſub Vere renides,
Et tibi perpetuo grata iuuenta uiret.
Eſt calor in folijs, minor eſt in cortice cuius
Acredo, maior cui ſed amaror ineſt.
Neſcio (confiteor) tibi quæ ſint munera, Phœbus
Hæc poterat melius concinuiſſe lyra.
Sed tamen ingenuè mihi cognita dicere fas ſit,
Me licet haud uatem florida laurus amet.

Ex

Ex te fragrantes pulcrè diſpergis odores,
Et cerebri humani templa uapore reples,
Organa, deſeſſos, tu corpus agentia, neruos,
Et pariter ſenſus organa uiua, foues,
Atteris & lapides calidis in renibus uſtos,
Vindice te cupidum ſentit & epar opem.
Deniq; tu uarijs medicina doloribus una,
Corpora non uno robore mille iuuas.
Quid quòd & infixus de te bene ſurculus agris,
Hinc Cereris peſtem cogit abire procul?
Multa repoſta tibi arcano myſteria fato
Non poſſum cauſis ſignificare ſuis.
Eſſe quid hoc dicam? Vulcani lumina mittis
Sulphuris aſperſo puluere fricta ſuper.
Miror & incolumem quòd te non fulmina tangunt.
Prodigium magni laurus es icta mali.
Æthere ſic Cæſar mittente Tiberius alto
Tela Ioue irato te redimitus erat.
O Phœbo Muſiſq; nouem cariſsima laurus,
Iure tuas dotes carmine propter ouo.
Sic tibi non temere gratati clara Quirites
Munera iuſſerunt te decus eſſe ſibi.
Frondibus egregiè in feſtis ſolennibus ornas.
Induperatorum, Pontificumq; domos.
Valuas templorum, præcelſa palatia regum
Splendida commendas ſemper honore nouo.
Tu Iouis in gremio recubas & in æde ſacrata,
Pacis ineſt ſignum, lætitiæq; tibi.

E Viſere

Visere qui pergit Capitolia candida uictor,
Huic cingis niueis frondibus ipsa caput.
Plurima quid memorem? Iouis es demissa Tonantis
Arce, fores claris digna corona uiris.
Hinc laurum manibus tenet, & sua tempora circum
Serta triumphator laurea Cæsar habet.
Nec modo uictores decet hoc gestamen honestum,
A quorum miles concidit ense ferox:
Laurus Apollineam decoras quoq; iure cohortem,
Es quoniam Phœbo tota dicata tuo.
Cuius & aërijs crescis fœliciter hortis,
Cuius & æternum munere salua manes.
Accipit emeritus iustißima præmia miles,
Magnanimi & laudem roboris ipse capit.
Cur non illustres ueneremur honore Poëtas,
Pectora sunt quorum tota reserta DEI?
Ergo iure pios uates uictoribus æquas,
Semper odoriferis laurus amicta comis.
Salue perpetuo Daphne delicta Poëtis
Sit tuus in seclum non uiolatus honor.
Hæc Schossere tibi, meditatur carmina, uates,
Sit licet Hofferi parua Thalēia tui.
Dum tibi promeritos uere gratatur honores,
Dum sonat acclamans & canit ore melos.
Dum salit harmonico multorum concita cantu,
Qui sunt in laudes prompta caterua tuas.
Nam donante tibi nuper Daphnæa Sabino
Serta Poëtarum læta corona fuit.

Quos

Quos inter primas merito tulit ipse Bocerus,
Tinctus in Aonio Codiciusq; lacu.
Quàm decus est ingens claro placuisse Sabino,
Quem iactat uatem Teutonis ora suum.
Itala quem tellus paßim miratur & audit
Suauiter Aonia carmina uoce loqui.
Gloria cardinei cœtus quem Bembus honorat,
Adsertor linguæ Roma diserta tuæ.
O tibi uenturis florescat fortiter annis
Laurus, & ô uigeant secula cana tibi.
Halitus adspiret cerebro Daphnæus odorem.
Vt mentis maneant organa pura tuæ.
Dispellasq; procul malesanos pectoris æstus,
Et Musæ curis sint medicina tuis,
Exerat ingenium cœlesti à numine tractum
Quas natura dedit non mala larga, faces.
Grata Deo recinas, humanæ et commoda uitæ,
Hunc decet ingenuis uatibus esse scopum.
Casta placent castis, te casta scribere mente
Conuenit, es casti nanq; Poëta Dei,
Sic tibi munito contra metuenda Tonantis
Fulmina, non poterunt lædere damna cæput,
Sic tibi succedent felici tramite capta,
Sic dulces fructus laurus amica feret.
Cedite mendaces, stultißima pectora, fuci,
Quos tumidos uatum nomen inane facit.
Qui non grata Deo, nec nostræ commoda uitæ
Scribitis & uersus uenditis ere malos.

E 2 Moreq;

Moreq; scortorum uarios inquiritis uni
Patronos chartæ, proh pudet ista loqui.
Vos decet abstrusos Cyclopum in rupe latere,
Fama præstantes ante nec ire uiros.
Non ita censeri debet diuina Poesis
Vilis, ut argento seruiat ipsa leui.
Imo nec Heroum debentur præmia uobis,
Quæ male barbaries captat auara modò.
Serta ne mendicos tales Daphnæa coronent?
His ego pro lauro spinea serta precor.
At Schossere tibi meus est cui candor honestus
Cognitus, in primis Lætor honore tuo.
Tuq; dabis ueniam iusto ueroq; dolori,
Fucorum expreßit quem mihi stulta cohors.
His Deus ingenium, uires uenæq; negabit,
Tu cane cum claris numina casta uiris.

FINIS.

Ingressus Christi Hierosolymam gloriosus, die palmarum.

Matth. 21.

Christus zeucht herrlich ein zu Jerusalem. Matth. 21.

Cœnat cum discipulis suis Christus.

Matth. 26.

Das Nachtmal Christi mit seinen Jüngern. Matth. 26.

Christus orat ad Patrem, aduenientibus Iuda proditore, cohortibus & ministris Iudæorum.

Iohan. 18.

Christus betet am ölberg / Judas kompt mit den scharen vnd Jüden jn zu fahen. Joh. 18.

Christus

Osculo

Osculo Iudas Christum tradidit, ut capiatur
Petrus ministro præcidit auriculam.

Matth. 26.

Judas verreht Christum mit eim Kuss. Petrus hawt des hohen Priesters Knecht ein Ohr ab. Matth. 26.

Christus

Christus coram Anna principe sacerdotum
captus sistitur.

Matth. 26.

Christus gefangen fürn obersten Priester Annam gefürt. Matth. 26.

 Christus

Christus confitens se filium DEI, in faciem cæditur, princeps sacerdotum scidit uestimenta.

Matth. 26.

Christus bekent das er Gottes Son sey/ wird ins Angesicht geschlagen / Der hohe priester zureis sein Kleidt. Matth. 26.

Christus

Christus obuelatus alapis cęditur, illuditur. & conspuitur.

Matth. 26.

Christus wird verdeckt ins angesicht geschlagen/verspottet vnd verspeiet. Matth. 26.

Christus

Christus ad Iudicem Pontium Pilatum ducitur.

Matth. 26.

Christus wird füru richter Pilatum gefürt. Matth. 26.

Christus

Christus ad Herodem deducitur, & accusatur.

Lucæ 23.

Christus wird für Herodem gefürt vnd angeklagt. Luc. 23.

Christus

Christus flagellatur ā Pilato, cogitante illum dimittere.

Iohan. 19.

Pilatus lesst Christum geisslen.

Christus

Christus purpura indutus, illusus corona spinea coronatur.

Marth. 27.

Christus mit Purperkleid angethan/wird verspottet / mit einer dornen Kron gekrönet. Matth. 27.

Pilatus

Pilatus Christum flagellatum prætorio educit, Iudæis commonstrat, illi, Crucifigatur conclamant.

Luc. 23.

Pilatus zeigt Christum den Jüden vom Richthaus/sie begeren jn zu Creutzigen. Luc.23.

Pilatus

Pilatus manus lauando, Iudæis Christum crucifigendum tradit.

Matth.27.

Pilatus wil vnschüldig sein / wescht die Hende/vberlifert Christum den Jüden zu Creutzigen. Matth. 27.

Christus

Christus crucem suam ferens in montem Caluariæ crucifigendus Ierosolyma educitur.

Matth. 27.

Christus tregt sein Creutz aus Jerusalem/ an den berg Caluarie zu creutzigen ausgefürt. Matth. 27.

Christus

Christus crucifigitur in monte Caluariæ.

Luc. 23.

Christus wird aus Creutz geschlagen. Luc. 23.

Christus

Christus in cruce à Centurione, uiso terræ motu, filius DEI confitetur.

Matth. 27.

Christus am Creutz von dem Heuptman Gottes Son erkent. Matth. 27.

Christus

Christus de Cruce deponitur à Ioseph Arimathensi.

Luc. 23.

Joseph von Arimathia nimpt Christum vom Creutz. Luc. 23.

Ioseph corpus Cristi posuit in monumento suo nouo, quod exciderat in petra.

Matth. 27.

Joseph legt den Leib Christi in sein new grab/in ein felsen gehawen. Matth. 27.

Glo-

Gloriosa Christi, tertia die, à mortuis resurrectio.

Matth. 28.

Die herrliche Aufferstehung Christi von den Todten. Matth. 28.

Ange-

Angelus mulieribus annunciat resurrexisse Christum, qui & Mariæ in horto apparet.

Matth. 28.

Der Engel verkündiget den Weibern die auffersteehung Christi / der auch Marie im Garten erscheint. Matth. 28.

Chri-

Christus Mariæ in horto adparet.

Iohan. 20.

Christus erscheint Marie im Garten. Johan. 20.

Chri-

Christus discipulis Emaus euntibus se adiungit.

Luc. 24.

Christus erscheint den Jüngern die ghen Emaus giengen. Lu. 24.

Christus

Thomas incredulus digitos in latus Christi immittit.

Iohan. 20.

Thomas legt seine Hand in die Seiten Christi/vnd gleubt. Johan. 20.

Ascen-

Ascensio Christi ad cœlos, in monte Galileæ à nube susceptus.

Matth. 26.

Auffart Christi zu Himel in einem Wolcken. Matth. 26.

Missio

Missio Spiritus sancti, Discipulis simul congregatis, supra singulos specie linguæ igneæ.

Act. 2.

Sendung des heiligen Geists / in gestalt feuriger zungen. Act. 2.

Christus

Christus in nouissimo die iudicaturus uiuos & mortuos.

Matth. 25.

Die zukunfft Christi am Jüngsten tage. Matth. 25.

FINIS.

Vngitur in Regem Saul à Samuele Propheta,
Sceptra magistratus numine dante tenet.

VITEBERGAE
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LVIII.